



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 160. Ovi castrum a Petro Navarra captum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CLIX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1503.*Cajeta a Consalvo incassum obsessa.*

Ceterum, quamvis Galli ingenti clade attriti fuissent, nihilominus Ivonis Alegrii solertia quatuor peditum millia cum quadringentis Cataphractis Hispanorum furori subduxit: præterea adhuc dum Gallorum imperio parebant tam in Aprutio, quam alibi nonnullæ civitates, nimirum præter alias, Aquila, Rocca Evendria, Venusia, & Matabora. Ergo Alegrius ad Cajetensem urbem, arte ac natura longe munitissimam, exercitus sui reliquias admovet, quas, ubi Consalvus obsidionem parabat, urbi intulit, eamque invicto robore defendit, donec ex Galliis opportuna adventassent auxilia: hinc Consalvus, cui inexpectata erat Alegrii industria, Castellionum, quod a priscis *Formianum* appellatum creditur, sese recipere compellitur, amisso Hugone Cardonno, animi fortitudine inter Hispaniæ Equites nominatissimo, qui grandioris plumbi globo occisus fuit.

*Marian. lib. 28. n. II.**Roche d'Evendre forte Rocca Imperiale.*

§. CLX.

Ovi castrum a Petro Navarra captum.

Hæc dum Cajetæ gerantur, Petrus Navarra Neapoli Castrum Ovi oppugna-

Secul. XVI
A.C. 1503 pugnabat. Muniebatur illud quorum-
dam Gallorum præsidio, qui, Consalvo
ad urbem recepto, eo confugerant. Er-
go Petrus validissima tormentorum sug-
gesta ad maris oram erigit, ac rupi, cui
castrum imponitur, propius accedit, mu-
risque subruendis fossores adhibet, ut
apertis cuniculis ignem admovere posset;
hanc ob rem Petrus primus hujus artis in-
ventor, perperam licet, celebratur: cum
vero segnior primi cuniculi impetus opta-
ti successus spem fefellisset, murus ite-
rata vi dejectus, obsessos ruina sua op-
pressit, ac demum Belliduces & milites,
quibus indigesta lapidum moles peperce-
rat, promiscue omnes Victorum gladius
absumpsit; id enimvero Gallis iniquissi-
mo tempore factum; si enim castrum uni-
ca adhuc die hostium impetus sustinuis-
set, Genuensium classe altera mox die
Neapolim appulsa, deditiois injuriam
effugisset.

§. CLXI.

*Bellicus Gallorum apparatus contra
Hispanos.*

Interea Rex Catholicus primas eo curas
intendit, ut Ludovicum Regem vana
spe detineret, atque Archiduci invidiam
crearet; hanc ob rem Gallis significat,
se Friderico Regi rursus Neapolis coro-
nam vindicaturum, ut vero, inquebat
Fer-